



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 2. Quantitas Corsicæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13120

terram satis negligenter colunt. Loquuntur linguâ ex variis dialectis conflatâ, scilicet Sardoâ, Tuscâ, Hispanâ & Africanâ. Qui degunt in vrbibus fere loquuntur Aragonicè: qui in agris linguâ patriâ inquinatissimâ.

N V M. 5. *Politia recens Sardorum.*

HANC Imperio Ro. collabente Saraceni, ex Africâ occuparunt, vnde eiekti sunt armis communibus Genuensium, & Pisanorum, à quibus in duas portiones diuisa est. Aragonum Regi à Summo Pontifice concessa est, inde transit ad Castellanos duobus regnis in vnum corpus coalescentibus.

Administratur à Prorege, cuius sedes Calaris: hic Assessores habet suos qui consilium conficiunt, vulgò *Audientiam Regalem*. Duo quoque Prætores, seu Gubernatores in duplici parte Insulæ: vrbs tamen Calaris instar Reip. administratur per quinque Consules, *Consègles* vocant, & priuilegiis suis & immunitatibus ad hoc vsque tempus vtitur. Hic milites Hispani octingenti in vrbibus, & turribus degunt, ex indigenis decem hominum millia, quorum Duces accipiunt stipendium, milites gratis militare perhibentur in patriæ tutelam. Hæc Insula reddit quotannis trecenta millia Ducatorum, quæ tamen omnia in eius tutelam impenduntur; & anno 1560. Hispani coacti sunt mittere 7. armatorum millia, ne Turcæ in hanc Insulam irrumperent, & inde Mediterraneo mari dominarentur.

§. 2. *Historica recentis Corsicæ.*

N V M. 1. *Nomen Corsicæ.*

NOMEN antiquum nihil immutatum est: nobis Gallis *la Corse*, quod & paulò antiquiores leuiter inflectunt *la Corsègue*, indigenæ vbiq; dicuntur *les Corsès*.

N V M. 2. *Quantitas Corsicæ.*

Hic *longitudo Geometrica*, est *latitudo Geographica*, vt & in Sardinia, & ita se habet dimensio huius Insulæ ex variis,

Ex-

EXTENSIO GEOMETRICA CORSICÆ	LONGITVDO	LATIVDO	AMBITVS
Secundum Gerardum Mercatorem	120. M. Paf.	70. M. Paf.	300. M. Pass.
Secundum Philippum Cluuerium	120. M. Paf.	50. M. Paf.	280. M. Pass.
Secundum nouã verãque dimensionem	106. M. Paf.	54. M. Paf.	300. M. Pass.

NVM. 3. *Qualitas Corsicæ.*

REGIO sterilior est, & nisi singularis accedat cultura vix frugum patiens, solo arenoso, & lapidoso. Quibusdam in locis pascua est. Vinum Corsicum Romæ in pretio est. Ferrum optimum & molle sufficit Nebiensis tractus. Hinc quoque mellis, & ceræ plurimum educitur; sed mel non ita laudatur ob Buxi flores, quo tota hæc regio obducitur. Equos & canes emittit generosissimos. Nec salutaribus aquis indiget seu calidis, seu frigidis. Emittit etiam telas, canabim & pannos. Inter Corsicam & Sardiniam coralia laudatissima reperiuntur.

NVM. 4. *Mores recentes Corsorum.*

INIURIAS suas atrocius cæteris Italis vleiscuntur, vnde vulgata parcemia, violato Corso neque viuo, neque mortuo fidendum esse, aut enim ipse, aut filij, aut nepotes reponent iniuriam. Fortissimi milites sunt, & ad omnia munera militiæ expeditissimi. Cuius specimen edidit apud nos Marecallus Ornanensis vir ex quo fortis & prudens.

NVM. 5. *Politia recens Corsorum.*

EXPVLSI sunt Saraceni ex hac Insulâ à Pipino Gallix Rege: exinde in manus Genuensium deuenit. Hanc tamen Pisani arro-

Parall. Geogr. Tom. II.

NNNnn